

facta existit, ratificamus et praesentis scripti patrocinio confirmamus, dantes super eo in testimonium has nostras litteras speciales. Datum in Frankenfurd X. Kalen. Augusti anno domini millesimo trecentesimo sexto, regni vero nostri anno octavo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem wohl erhaltenen Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 341. 1307. 15. Juni.

*Erzbischof Heinrich zu Magdeburg beurkundet, dass mehrfache zwischen dem Bischof und mehreren Mitgliedern des Capitels obschwebende Streitigkeiten in der näher angegebenen Weise entschieden und beseitigt seien.*

Heinricus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus universis ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in omnium salvatore. Intimantibus nobis H. scolastico ecclesiae nostrae Magdeburgensis et magistro Th. de Dasle cappellanis nostris, fratre Th. praedicatorum et fratre Th. minorum lectoribus per nos ad faciendam compositionem et concordiam inter partes infra scriptas de consensu ipsarum partium deputatos intelleximus, quod omnis controversiae [et] quaestionis materia, quae iam dudum inter venerabilem fratrem nostrum dominum Al. episcopum Misnensis ecclesiae, Al. de Luppe archidiaconum Nisicensem, With. de Koldicz praepositum Wurzinensem, Ot. de Donyng scolasticum Misnensem, Lut. de Gorwicz et Bern. custodem canonicos Misnenses ceterosque fautores ipsius episcopi parte ex una, necnon H. praepositum, Erk. decanum Misnensem, C. de Strele et H. de Wrat. Budesinensis et Haynensis ecclesiarum praepositos et adhaerentes eisdem ex altera super quibusdam excommunicationum et suspensionis sententiis et quibusdam aliis infra scriptis articulis vertebatur, foret per ipsos in concordia et compositione amicabili terminata, ita videlicet quod praedictus episcopus ab excommunicationum et suspensionis sententiis, quibus ipsum in quodam arbitrio inter partes easdem prolato pronuntiamus fuisse et esse ligatum, per nos seu per eum aut per eos, cui vel quibus vices nostras in hac parte committere curaremus, debeat absolutionis beneficium optinere, et quod litteras nostras supplicatorias, prout ipsi episcopo et partibus expedire viderimus, ad inpetrandam super irregularitate dispensationis gratiam ad sedem apostolicam transmittere debeamus, ad quod faciendum et promovendum pro posse nostro nos benivolos offerimus et paratos. Item H. de Zweyn praepositus ipsam praeposituram et Erk. decanus ipsum decanatum Misnensis ecclesiae omni contradictione et oppositione cessantibus debeant pacifice possidere. Item quod si praepositum et decanum praedictos ab aliquo seu aliquibus occasione eorum, super quibus ante compositionem praesentem sub episcopo praefato conveniri de iure poterant, in causam coram ipso trahi contingat, episcopus ipse in causa huiusmodi non procedat, sed permittet quod partes iudicem alium adeant competentem. Item quod si aliquem seu aliquos de fautoribus episcopi sub iudicio Misnensis decani conveniri contingat et ab ipso decano per quemcunque modum in causa eadem ad episcopum devolvatur, et deinde ab ipso episcopo ab aliqua partium ad nostram audientiam appelletur, appellationi huiusmodi tenebitur episcopus indistincte differre, et hoc idem in aliorum suorum necnon archidiaconorum in